

## **Psalmus 75**

- 1 Notus in Iudea Deus:  
in Israel magnum nomen ejus.
- 2 Et factus est in pace locus ejus,  
et habitatio ejus in Sion.
- 3 Ibi confregit potentias arcuum,  
scutum, gladium et bellum.
- 4 Illuminans tu mirabiliter a montibus aeternis:  
turbati sunt omnes insipientes corde.
- 5 Dormierunt somnum suum:  
et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.
- 6 Ab increpatione tua, Deus Jacob,  
dormitaverunt qui ascenderunt equos.
- 7 Tu terribilis es, et quis resistet tibi?  
ex tunc ira tua.
- 8 De caelo auditum fecisti judicium:  
terra tremuit et quievit,
- 9 Cum exsurgeret in judicium Deus,  
ut salvos faceret omnes mansuetos terrae.
- 10 Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi:  
et reliquiae cogitationis diem festum agent tibi.
- 11 Vovete, et reddite Domino Deo vestro:  
omnes, in circuitu ejus affertis munera.
- 12 Terribili et ei qui aufert spiritum principum,  
terribili apud reges terrae.